



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio
Colonizæ Agrippinæ, 1620**

S. Bernardus Abbas, num. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

SANCTVS Bernardus ex Deiparæ vberibus, eius singulari amoris significatione, sacratissimum lac suxisse dicitur: unde miram illam hausisse creditur, quæ in omnib. à se editis libris; sed in ijs præsertim, in quibus de Virgine sanctissima loquitur, manat cum pietate dulcedinem; cuius melliflua dicta crebrò in hoc opere alligauimus.

Is eximiam, quam erga Virginem gerebat pietatem, in suis scriptis abundè omnibus testatam reliquit, alijsque eandem pietatem vehementer commendat.

In sermone enim de Aquæductu: *Filioli hac, inquit, peccatorum scala, hac mea maxima fiducia est, hac tota ratic spiritus mei.*

Nec per se solum Bernardus sed & pro alijs Deiparâ inuocare solitus erat, vt videre est in serm. 2. Dom. 1. post Epiph. *Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas quarimonias vestras, exorare matrem misericordia, vt suggerat suo benignissimo filio, quoniam vinum non habeatis? Et ipsa, dico vobis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit,*

rit, non deerit necessitati nostra, quoniam misericors est, & mater misericordia.

Ad hanc pietatem suos sæpè ita hortatur in hom. 2 super Missus est: In periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.

Et sermone citato de Aquæductu in Natiu. Virg. Totis medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

Et in fine eiusdem sermonis: Quicquid illud est, quod offerre paras, Maria cõmendare memento, ut eodem alueo ad largitorem gratia gratia redeat, quo influxit.

Hæc pauca de multis, quæ Bernardus hac de re pleno ore pronũciare solet: nec mirum cùm in multis Deiparæ benignitatem in se expertus fuerit.

Illud non prætermittam, quod Wilhelmus Abbas sancti Theodorici beato S. Bernardi Bernardo admodum familiaris in vita à B. Virg. eiusdem, (quam eo viuente scribere cõsanitati pit) libro 1. cap. 12. narrat his ferè verbis: restituitur Cùm aliquando Bernardus egrotaret ad Vita S. mortem, & magnis doloribus vehementius Bernardi.

urgeretur, misit unum ex fratribus adorandum ad tria, qua in templo erant altaria, quorum unum in honorem Dei Genitricis, alterum S. Laurentij, tertium S. Benedicti. Eadem hora adfuit viro Dei, praedicta beata Virgo duobus istis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, & beato Benedicto, aderant autem in ea suauitate, & serenitate, qua eos decebant, & tam manifestè, ut ex ipso introitu cellula personas discerneret singulorum, imponentesq; ei manus, & loca doloris tactu piissimo lenientes, omnem protinus aegritudinem depulerunt, siccatu est enim illico phlegmatis rivus, & dolor omnis abscissit. Sic ille.

VIII.

S. DOMINICVS ORDINIS
Prædicatorum Institutor, eiusdemq; Ordinis in Virginem pietas, & Rosarij institutio.

6 Sanctus Dominicus cultor fuit Deiparæ religiosissimus, ut videre est in eius vita piè, ac grauitè conscripta, quæ habetur apud Surium tom. 4. & in 1. part. Chron. S. Dominici libr. 1. capit. 11. vnde quæ hic commemoramus accepta sunt; is enim in sanctissima Virgine secundum Deum omnem suam spem collocauerat, eidemque

Surius.
Chron. S.
Dominici.